28

Sigismundus DEI Gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæq &c. Dominus et hæres.

Venerabilis devote Nobis dilecte! Quoniam tantum istic temporis et oper is Mttis Cæsareæ impendis, id Nobis æquè gratum esse scias, ac si nostro in fa ito hic adesses habiturique sumus per occasionem, condignam rationem hujusce tuæ Nobis omnino acceptæ. Probamus etiam diligentiam tuam, qm in illis Mai ibus Nobis frequenter perscribendis adhibes. Committimusq tibi, ut qm diligentissime istic observes tractatus omnes Orator. Moschi hostis nostri, qui hoc tempore a i Celsitudinem proficiscuntur, et Nos tam de his qui de responso qd eis ab eadem Celsitudine datum fuerit, ac omnibus aliis certiores reddas, mandamus præterea ut in nio Majestatis suæ perseveres, qm diu ipsa tuo servitio uti dignabitur, erit enim id Nobis gratum, Qui ubi prima se se opportunitas obtulerit, tuam servitutem cumulatiore beneficentia, qm si coram adesses prosequemur. Datt Vilnæ 7. Junii Anno Domini 1516. Regni Nostri Decimo.

Commissio propria Regiæ Majestatis.

Venerabili Joanni Dantisco Nuntio et Secretario Nostro, devote Nobis dilecto.